

1909

P O L E M I C I.

1910

CCCCLXXXV.

874 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 11. f. congestus est e Sequentibus: I. Scripto, cui Titulus: *Simplex et vera narratio Historiae Colloquij Wormaciensis scripta a Philippo Melancthone*. Initium hujus narrationis est: *Anno 1557. Mense Augusto postquam in urbem Vangionum venimus, antequam inchoaretur congressus cum pontificijs, Legati Principum nostrorum vocaverunt concionatores missos ad doctrinae explicationem, et jusserunt paratos esse, cum a Praeside (Jul. Pflugio Ep. Numburg.) ad congressum cum pontificijs vocarentur &c.* Adparet mox, in primo hoc apud Legatos conventu Theologos Protestantes inter se dissensisse, quibusdam petentibus, ut ante omnia damnarentur *Cingliani, Doctrina Osiandri, Propositio: Bona Opera necessaria esse ad salutem, et Lapsus eorum, qui Adiaphora recepissent*; aliis contra contendentibus, haec aut declinanda aut differenda esse, quin monentibus Legatis, *quia missi essemus ad defensionem Ecclesiarum nostrarum aduersus pontificios, nunc nos debere in communi causa conjunctos esse, nec faciendam esse distractionem*. Sed nihil effectum. Scriptae Condemnationes, et quamvis *Melancthon* et alii dehortarentur, a Collegis eorum ad Pontificios adlatas. *Hac distractione facta, subdit idem, nolunt pontificij Collocutores procedere*. Ita et istud
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

Colloquium successu caruit. Aeta quaedam ad illud pertinentia exhibet *Goldastus* in *Politisch. Reichsbündeln* P. XVIII. p. 740. Vide etiam *B. G. Struvii Historie der Religionsbeschwerden* P. I. c. 3. §. 2. p. 277. Nostra vero *Narratio* inserta est L. I. *Epist. Melancthb.* a *Casp. Peucero* editar. *Witteb.* 1570. p. 201. 8.

II. fol. 6. Epistola a *Joh. Bugenbaggio, Ge. Mayero, Casp. Crucigero* et *Phil. Melancthone* scripta *Reuerendis Viris eruditione et virtute praestantibus D. Pastoribus Ecclesiae Dei in inclyta Vrbe Argentorato &c.* Ejus initium: *Etsi ex literis Vestris et deliberatione, quam antea misistis, intelleximus, vos corruptelas doctrinae constanter rejicere, quae sunt in Sphynge Augustana &c.* Decretum *Interim* intelligunt, unde Epistola non ante annum 1548. data est. Ceterum laudant propositum et ad constantiam hortantur.

III. fol. eod. p. 2. Scriptum epistolare sine die et consule datum tempore promulgati *Interim*, de quo inter alia: *Liber Augustanus continet manifestas corruptelas, ideo nequaquam eum approbavimus, etiamsi exitia et supplicia nobis proponuntur. Modeste autem de eo libro respondebimus &c.* quae, ut videtur, *Melancthonem* innuunt. Initium est: *Scimus Dei beneficio discernenda esse Imperia ab Ecclesia Dei, tamen si semper oportet alicubi in imperijs esse aliqua hospitia Ecclesiae*
Y y

sia Dei &c. Definit in descriptione publici ritus poenitentiae, qui nulla ratione mitior est catholico romano.

IV. fol. 8. p. 2. Literae Bern. Ziegler, Job. Pfeffinger et Alex. Alesii datae Lipsiae 12. Aug. 1548. Reverendis et eximijs Viris doctrina virtute et pietate praestantibus DD. Caspari Hedioni, M. Bucero et reliquis doctoribus ac ministris Evangelii in Ecclesia Domini quae est Argentinae &c. Initium: *Accepimus literas uestras, Clarissimi atque Ornatissimi, a Domino Doctore Joanne Marbachio, qui nobis exposuit diligenter, quanto studio cupiatis retinere concordiam &c.* Expouunt suum et Wittebergensium votum, ut edatur publica confessio omnium nomine, et probant Argentinatum doctrinam. At vero Bucerus altero anno in Angliam abiit.

V. fol. 10. Dialogus festiuis satiricus inter *Erasum* a morte in coelum delatum et *Eliam*, cui ille multa de nova Lutheri Doctrina refert, et inter cetera *Lutherum* *Eliae* nomen in terris usurpare; unde *Elias* concitatus *Wittebergam* devolat, *Lutherum*que acri perfundit lixivio. Initium: *Elias. Quis nouus hic nostris successit sedibus Hospes?* Erasmus. *Sum Erasmus, qui tandem optato vestro collegio potior.* El. *Et quae tanta fuit nostri tibi causa videndi?* Erasmi. *Non una sane, nam vita illa humana multis mihi nominibus grauis erat, primum Seni, hinc calculoso, tum*

multa indigna cotidie videnti et toleranti &c. Atque hinc ad *Lutheri* motus Sermo delabitur. In Scena actum *Dialogum* ultima probant: *Vos saltem auditores temporius respiscite et valete.*

CCCCLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Scrip- 473
tus Seruestae anno 1547. Folior.
10. 4. continet *Annotata D. Philip. Melanth. In Epistolam Pauli ad Timotheum primam.* Hic tantum in prima IV. *Capita*, quibus subicitur: *Haftenus 18. Martii. Anno 1547. Seruestae.* Succinctiora omnia illius *Enarratione in eandem Epistolam*, quae legitur *Opp. Parte IV. Wittebergae 1601. p. 366. f.* et multis dictionibus graecis et germanicis interspersa. Ut specimen dem, ad vocem γυναικα C. I. v. 2. haec notantur: *Filio Germano. id est. incorrupto. ita nos debemus esse germani filii Apostolorum, debemus seruare incorruptam doctrinam. Germanus a germen. inde Germanus natürlich. mein natürlicher bruder.* (Id hodie aliud.) *Nostri germani inde habent nomen quod fuerunt predicti bonis moribus et incorrupti. Germanus dunckt mich sey das wort herman. quia fuerunt bellatores. Hermiones fuerunt pars germanorum.* Nihil de his in *Enarrat. suprac. Ad C. III. v. 2.* verba: *Unius Uxoris virum*, haec legas: *id est. non scortatorem, quamuis potest intelligi de digamia, quod non liceret eum qui haberet duas*